

SEM. nonnulla, subrotunda.

Habitat in udis, depressis, sub fruticibus ubique circa BARCELLONAM Novam in provincia Cumanensi.

(*) Licet *Stigma* sit trifidum, nunquam tamen vidi *Capsulam* trilocularem.

54. PONTERIA. *Phrynium Authoris.*

Planta spithamalis, perennis, simplex.

Radix fibrosa, aggregata.

Folia cordata, acuta, nervosa, glabra, pubescentia, ad radicem. Petioli basi vaginante.

Florum spica e rima vaginæ caulinae terminalis, basi involuta spathe s. bractea lineari, tandem digitalis: floribus alternis absque bracteis.

Corolla purpureo-cærulea, pallida, marcescens, nullo modo ringens.

CAL. nullus. *Spathæ* nullæ.

COR. hypocrateriformis, *Tubus* cylindricus, filiformis, longus. *Limbus* patens, sexpartitus, subæqualis, laciniis lanceolatis: tribus superioribus magis approximatis, subparallelis, minoribus, infimo patentiore, lineari, basi angusta, convexo, lateribus lato.

STAM. *Filamenta* tria, ad basin lacinae adnata, capillaria, limbo breviora. *Anthera* subrotundæ.

PIST. *Germen* lineare. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum.

PER. *Capsula* teres, linearis, acuta.

SEM. plurima, subrotunda, substriata.

Habitat BARCELLONÆ in paludibus.

Hispanis Lagunera.

Ex dictis patet hoc Genus Gladiolo & Antholyzæ esse affine, (*Stamina* 3 tantum, observata fuisse non intellexi, cum planta videtur esse Pontederia.

Phrynium nomen est Plinii deriv. a *Πρυνος* rana; eadem enim cum illis inhabitat paludes.

55. IXIA.